



I N N A T A L E M

HIERONYMI BIGNON,

I V. Kal. Martii, An. Dom. M. D C. XCVIII.

C A R M E N.



TERRAS, ô Superi, non deseruistis ini-
quas !

BIGNONIOS sperare datur Postquam
occidit¹ ille,

Qui latum implêrat meritis ingentibus orbem,
Rollando Genitore satus ; quo Patria nullum
Aut plus dilexit vivum, aut post funera luxit
Veriùs : afflictis tulerat solatia terris

² Filius ereptum referens virtute Parentem
Nomineque, æternis victuro nomine chartis.

Hic etiam fato occumbens tibi, Gallia, natos
Quatuor ediderat patriæ nil laudis egentes:

³ Seu populis dare jura juvat, celsâque Curuli
Astrææ justo librare examine lances;

⁴ Sive opus est nostris arcere à finibus hostem,

1. Hiero-
nymus,
Comes
Consisto-
rianus &
Advocatus
Catholi-
cus in Se-
natu Pari-
sienfi.

2. Hiero-
nymus
Hierony-
mi filius,
Comes
item Con-
sist. & Ca-
th. in Sen-
Par. Ad-
voc.

3. Hiero-
nym. &
Rolland.

4. Ludo-
vic,

5. Joan.
Paul.

Atque, suâ quanquam se majestate tuetur,
Invigilare sacro Capiti; seu spargere Templo
Auribus attonitis divini femina verbi,
Ollis ingenium est nullis conatibus impar.

Sed deerat proles, quæ laudum insignia tanta,
Præmiaque ad seros transmitteret usque nepotes.
Ergo in Concilium Divos Themis ipsa vocavit:
Atlantisque Nepos, Phœbusque, novemque So-
rores;

Pallasque, & Superi, quibus est res Gallica curæ,
Conveniunt, nec abest Lucina & Pronuba Juno.

Hic Themis oravit, nec fata obstare canebat,
Quin aliquis pulchrâ prognatus origine magnum
Æquaret Proavum: vellent modò Numina donis
Quæque ornare suis, vellet Lucina favere.

Hæc Dea. Dicentem attensu fremituque secundo
Excipiunt alii, venturoque obvia Pupo
Dona parant: alios alii quàm vincere certant
(Tantus amor Gentis) tam vinci munere gaudent.

6. Rollandi
Libello-
rum Sup-
plicum
Magistri.

Intereâ prægnans **BIGNONI** nobilis Uxor
Jam decimum attigerat maturo pondere mensem,
Necdum etiam primos partûs experta labores.

Lucina occurrit: Dextrâ obstetrice solutus
Blandum uterus foetum vitales edit in auras.

Quinetiam Proavi jam nunc cognomine lætus
Arridet: jam nunc manibus cunabula trinæ
Implexis Charites, Lususque Jocique frequentant:

Et Divûm plaudente choro bonus Augur Apollo
Fata aperit; Puerò ut non longa crepundia; primis
Ut Puerum, ducente Deo, mirentur ab annis
Et Pater & Patruì deferta per ardua Pindum
Scandere, & Aoniâ præcingere tempora lauro.
Inde ut virtutem non ausa relinquere tantam
Fortuna, ad superos maturum attollat honores,
Queis patriam, totumque sibi devinciat Orbem.

Ergo, Puer, vive atque HIERONYME discè
vocari,

Hoc tantùm: Quandoque scies quæ Nominis hujus
Gloria: quid deceat BIGNONI stirpe creatum.

JOANNES-BAPT. COUTURE,
Rhetor in Marchiano, & Regius
Eloquentiæ Professor.

Cum Permissu.

Typis Viduæ CLAUDII THIBOUST,
è regione Auditorii Regii,
M. DC. XCVIII.

Et Divum plaudente choro bonus Augur Apollo
Fata aperit; Pueri ut non longa crepundia; primis
Ut Pacem, ducere Deo, miseratur ab annis.
Et Patet & Patrii delicta per ardua Fandans
scandere, & A omni praedictis tempora lauro.
Inde ut virtutem non aula relinqueret tantam
Fortuna, ad superos matrum arcollat honores.
Quis pariam; totumque sibi devincat Oberum.

Ergo, Puer, vive ardue HIERONYME dico
vocat;
Hoc tantum: Quandoque scies que Nomina hujus
Gloria: quid decet BIGNONI sive creatum.

Erant in ...
Dona ...
Tunc ...

Joannes ...
Ludovicus ...
Hilarius ...

Neque ...
Locus ...
Pars ...

Typis ...
M. DC. XXVII